

gentes: incipientibus ab iherosolima.
Vos autem testes estis horum. Et ego mit-
tam promissum patris mei in vos: vos
autem sedete in civitate quoadusque indu-
amini virtute ex alto. Eduxit autem eos
foras in bethaniam: et elevatis mani-
bus suis benedixit eis. Et factum est dum
benediceret illis recessit ab eis: et fereba-
tur in celum. Et ipsi adorantes regres-
si sunt in iherusalem cum gaudio ma-
gno: et erant semper in templo lau-
dantes et benedicentes deum amen.
Explicit evangelium secundum lucam. Incipit prologus in evangelium secundum iohannem.
Hic est iohannes evange-
lista unus ex discipulis domini:
qui virgo a deo electus est:
quem de nupcijs volentem
nubere vocavit deus. Cui virginitatis
in hoc duplex testimonium datur in ev-
angelio: quod et pre ceteris dilectus a deo
dicitur: et huic matrem suam de cruce com-
mendavit dominus ut virginem virgo servar-
et. Denique manifestans in evangelio
quod erat ipse incorruptibilis verbi opus
inchoans-solus verbum carnem factum
esse-nec lumen a tenebris comprehensum
fuisse testatur: primum signum ponens quod
in nupcijs fecit dominus ostendens quod ipse
erat: ut legentibus demonstraret quod ubi
dominus invitatus sit deficere nupciarum vi-
num debeat: et veteribus immutatis-
nova omnia que a christo instituuntur
appareant. Hoc autem evangelium scripsit in
asia-postea quam in pathmos insula apo-
calipsim scripserat: ut cui in principio ca-
nonis incorruptibile principium prenotatur
in genesi: ei etiam incorruptibilis finis
per virginem in apocalipsi redderetur dicente
christo ego sum alpha et o. Et hic est io-
hannes: qui sciens supervenisse diem re-
cessus sui. Convocatis discipulis suis
in epheso-per multa signorum experimen-
ta promens christum descendens in defossum
sepulture sue locum facta oratione-po-
situs est ad patres suos: tam extraneus
a dolore mortis quam a corruptione car-
nis invenitur alienus. Tamen post om-
nes evangelium scripsit: et hoc virgini
debebatur. Quorum tamen vel scriptorum tempo-
ris dispositio-vel librorum ordinatio ideo
a nobis per singula non exponitur:
ut sciendi desiderio collato et querenti-
bus fructus laboris: et deo magiste-
rii doctrina servetur. *Explicit prologus. Incipit evangelium secundum iohannem.*
In principio erat verbum: et verbum erat
apud deum: et deus erat verbum. Hoc erat
in principio apud deum. Omnia per ipsum
facta sunt: et sine ipso factum est nichil.
Quod factum est in ipso vita erat: et vita
erat lux hominum: et lux in tenebris lu-
cet: et tenebre eam non comprehenderunt. Fu-
it homo missus a deo: cui nomen erat io-
hannes. Hic venit in testimonium ut testi-
monium perhiberet de lumine: ut omnes
crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut
testimonium perhiberet de lumine. Erat
lux vera: que illuminat omnem homi-
nem venientem in hunc mundum. In mun-
do erat: et mundus per ipsum factus est: et
mundus eum non cognovit. In propria ve-
nit: et sui eum non receperunt. Quotquot autem
receperunt eum-dedit eis potestatem filios
dei fieri: hiis qui credunt in nomine eius.
Qui non ex sanguinibus neque ex volun-
tate carnis-neque ex voluntate viri: sed
ex deo nati sunt. Et verbum caro factum
est: et habitavit in nobis. Et vidimus
gloriam eius-gloriam quasi unigeniti a
patre: plenum gratie et veritatis. Iohan-
nes testimonium perhibet de ipso et cla-
mat dicens. Hic erat quem dixi: qui post
me venturus est-ante me factus est: